



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2 Vtrum charitas sit ex charitate diligenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

eo ex charitate uolita, quatenus ordinatur ad bonum ipsius, quatenus amatur ut amicus, hoc est, in quantum Deus, uel Dei est.

Super illud Abraam genuit Isaac gloriose inter linearis.

¶ Sed occurrit hic unum dubium, quia falsum videtur, quod in dilectione proximi ex charitate oportet uelle ei charitatem, quoniam constat dantem elemosinam pauperi ex charitate, non uelle propterea illi charitatem, sed subsidium, & sic de aliis similibus.

¶ Ad hoc dicitur, quod proximus, si diligitur ut amicus, oportet ut ametur ad charitatem, ut in littera dicitur in responsione ad primum, quod in illorum, scilicet: Dei, proximi, & amicorum dilectione includitur dilectio charitatis. Sed cum proximus diligitur ex charitate ut aliquid Christi, seu Dei, tunc non oportet desiderare ei charitatem.

Dans autem elemosinam pauperi ex charitate ut sic, solum Deum respicit ut amicum, proximum autem ut rem Dei, indigentem tali auxilio: tunc charitas imperat amicitiam naturalis ipsius proximi ut uelit tale subsidium proximo propter Deum, ita quod diligens Deum, & propterea dans elemosinam pauperi, ut sit, aut conferatur in charitate, uere diligit illum pauperem, ut amicum ex charitate.

Dans autem elemosinam precise ex charitate tantum, diligit quidem illum amicitiam naturalis, domesticam, uel politiam, pro quanto uult illi bonum, sed ex charitate non ut amicum, sed ut rem Dei. Et haec intellige de hoc proximo in particulari, quoniam etiam hic proximus diligitur a quocumque in charitate existente in communi ad charitatem, ita quod in dilectione proximi ut amici in communi, & in dilectione proximi, & particulari ut amici diuini, includitur dilectio charitatis in particulari, hoc est, ut sit

1.2. q. 14. ar. 2. & hic q. 17. arti. 6. & q. 19. arti. 3.

D. 45.

D. 359.

nor patriae, & alius est honor qui debetur creaturae, qui est honor dulciae. ergo etiam alius est amor, quo diligitur Deus, & alius quo diligitur proximus.

¶ 3. Præter. Spes generat charitatem, ut habetur in * gl. Matt. 1. sed spes ita habetur de Deo, quod reprehenduntur sperantes in homine, sicut illud Hier. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine. ergo charitas ita debetur Deo, quod ad proximum se non extendat.

SED CONTRA est, quod dicitur 1. Jo. 4. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, habitus non diuersificatur nisi ex hoc, quod uariatur species actus. Omnis actus unius speciei ad eundem habitum pertinet. Cum autem species actus ex obiecto sumatur secundum formalem rationem ipsius, necesse est, quod idem species sit actus, qui fertur in obiectum sub tali ratione, sicut eadem est species uisus, quia uisum est, & quia uis color. sicut in luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum, Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem species actus est quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod proximus timeri potest dupliciter, sicut & amari. Vno modo propter id quod est proprium sibi, puta, cum aliquis timet tyrannum propter eius crudelitatem, uel cum amat ipsum propter cupiditatem acquirendi aliquid ab eo. Et talis timor humanus distinguitur a timore Dei, & similiter amor. Alio modo timetur homo, & amatur propter id, quod est Dei in ipso: sicut cum saecularis potestas timetur propter ministerium diuinum, quod habet ad uindictam malefactorum, & amatur propter iustitiam. Et talis timor hominis non distinguitur a timore Dei, sicut nec amor.

AD SECUNDUM Dicendum, quod amor respicit bonum in communi, sed honor respicit proprium bonum honorati: deservit autem in testimonium proprie uirtutis. Et ideo amor non diuersificatur specie propter diuersam quantitatem bonitatis diuersorum, dummodo referantur ad aliquid unum bonum commune: sed honor diuersificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in

quantum referunt ad unum bonum commune, quod est Deus: sed diuersos honores diuersis deferimus, secundum propriam uirtutem singulorum. Et similiter Deo singulariter honorare patriae exhibemus propter eius singularem uirtutem.

AD TERTIUM dicendum, quod uirtutes sperant qui sperant in homine, sicut in principali auctore salutis, non autem qui sperant in homine, sicut adiuuante ministerialiter sub Deo. Et similiter reprehensibile esset, si quis proximum diligeret tamquam principale finem, non autem si quis proximum diligit propter Deum, quod pertinet ad charitatem.

ARTICULVS II.

Primum charitas sit ex charitate diligenda.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod charitas non sit ex charitate diligenda. Eadem quae sunt ex charitate continet, quae nec charitas est Deus, nec est proximus. ergo charitas non est ex charitate diligenda. ¶ 2. Præter. Charitas fundatur super cognitionem beatitudinis, ut supra dictum est: sed charitas non potest esse particeps beatitudinis. ergo charitas non est ex charitate diligenda.

¶ 3. Præter. Charitas est amicitia quaedam, ut supra dictum est: sed nullus potest habere amicitiam ad charitatem, uel aliquid accidens, quia homo non recamare non possunt, quod est de ratione amicitiae: ut dicitur in 8. * Ethic. ergo charitas non est ex charitate diligenda.

SED CONTRA est, quod Augustinus dicit 8. de Tri. Qui diligit proximum, consequens est ut et ipsam dilectionem diligat: sed proximus diligitur ex charitate. ergo consequens est, ut et charitas ex charitate diligatur.

RESPON. Dicendum, quod charitas amor quidam est, amor autem ex natura potentiae, cuius actus habet quod possit supra se ipsum reflecti. Quia enim uoluntatis obiectum est bonum uniuersale, quicquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actu uoluntatis. Et quia ipsum uelle est quoddam bonum, potest uelle se uelle, sicut & intellectus, cuius obiectum est uerum, intelligit se intelligere, quia hoc est, quod uerum est amor: et ex ratione propria spiritus habet, quod supra se reflectat, quia est spontaneus motus amatis ad amatum. Unde ex hoc ipso, quod amat aliquid amat se amare: sed charitas non est simplex amor, sed habet rationem amicitiae, ut supra dictum est. Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter. Vno modo sicut ipse amicus, ad quem

amicitiam habemus, & cui bona volumus. Alio modo, sicut bonum quod amico volumus, & hoc modo, charitas per charitatem amatur, & non primo: quia charitas est illud bonum, quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. Et eadem ratio est de beatitudine, & aliis virtutibus.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Deus, & proximus sunt illi, ad quos amicitiam habemus: sed in illo modo dilectione includitur dilectio charitatis. Diligimus enim proximum, & Deum, in quantum hoc amamus, ut nos, & proximos, Deum diligamus: quod est charitatem habere.

AD SECUNDUM dicendum, quod charitas est ipsa communicatio spiritalis veritatis, per quam ad beatitudinem pervenitur: & ideo amatur sicut bonum desideratum omnibus, quos ex charitate diligimus.

AD TERTIUM dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod per amicitiam amatur illi, ad quos amicitiam habemus.

ARTICULUS III.

Utrum etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligende.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligende. Per charitatem enim maxime conformamur Deo: sed Deus diligit creaturas irrationales ex charitate, diligit enim omnia, quae sunt, ut habetur Sapientia 1. Et omne quod diligit, seipso diligit: ergo et nos debemus creaturas irrationales ex charitate diligere.

Præterea charitas principaliter fertur in Deum, ad aliam autem se extendit, secundum quod ad Deum pervenit: sicut creatura rationalis pertinet ad Deum, in quantum habet similitudinem imaginis, ita etiam creatura irrationalis, in quantum habet similitudinem vestigiis: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales.

Præterea sicut charitatis obiectum est Deus, ita se habet: sed fides se extendit ad creaturas irrationales, in quantum credimus caelum & terram esse creata a Deo, & pisces, & aves esse productos ex aquis, & gressiva animalia & plantas ex terra: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales.

SED CONTRA est, quod dilectio charitatis solum se extendit ad Deum, & ad proximum: sed nomine proximi non potest intelligi creatura irrationalis, quia non communicat cum homine in vita rationali: ergo charitas non se extendit ad creaturas irrationales.

RESPON. Dicendum, quod charitas secundum prædicta, est amicitia quedam. Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter. Uno quidem modo amicus, ad quem amicitia habetur, & alio modo bona, quae amico optantur. Primo ergo modo, nulla creatura irrationalis potest ex charitate amari. Et hoc tripliciter, quantum ad pertinet communiter ad amicitiam, quae

ad creaturas irrationales haberi non potest. Primo quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum: sed non proprie possumus bonum vel le creaturae irrationali, quia non est eius proprie habere bonum, sed solum creaturae rationalis, quae est domina utendi bono, quod habet per liberum arbitrium. Et ideo Philosophus dicit in 2. Physic. quod huiusmodi rebus non dicimus aliquid bene, vel male contingere, nisi secundum similitudinem. Secundo, quia omnis amicitia fundatur super aliqua communicatione vitae: nihil enim ita proprium est amicitiae, sicut bona vita, ut patet per Philosophum 8. Eth. Creatura autem irrationales non possunt communicationem habere in vita humana, quae est secundum rationem. Unde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi forte secundum metaphoram. Tertia ratio est propria charitati: quia charitas fundatur super communicatione beatitudinis eterne, cuius creatura irrationalis capax non est. Unde amicitia charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem. Possunt tamen ex charitate diligere creaturas irrationales, sicut bona quae aliis volumus, in quantum, si ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, & utilitatem hominum: et sic etiam ex charitate Deus eas diligit. Unde patet responsio ad Primum.

AD SECUNDUM dicendum, quod similitudo vestigiis non dat capacitatem vitae eterne, sed similitudo imaginis: unde non est similis ratio.

AD TERTIUM dicendum, quod fides se potest extendere ad omnia quocumque modo vera: sed amicitia charitatis se extendit ad illa sola, quae nata sunt habere bonum vitae eterne: unde non est simile.

ARTICULUS IIII.

Utrum homo debeat seipsum ex charitate diligere.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod homo non diligit seipsum ex charitate. Dicit enim Gregorius in quadam Homilia quod charitas minus, quam inter duos haberi non potest: ergo ad seipsum nullus habet charitatem.

Præterea amicitia de sui ratione importat reamationem, & equalitatem, ut patet in 8. Ethico. quae quidem non possunt esse homini ad seipsum: sed charitas amicitia quadam est, ut dictum est: ergo ad seipsum aliquis charitatem habere non potest.

Præterea illud quod ad charitatem pertinet, non potest esse vituperabile, quia charitas non agit peccatam, ut dicitur 1. ad Corinthios 13. sed amare seipsum est vituperabile: dicitur enim 2. ad Timotheum 3. In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes seipsos: ergo homo non potest seipsum diligere ex charitate.

SED CONTRA est, quod dicitur Leviticus 19. Diliges amicum tuum sicut teipsum: sed amicum ex charitate diligimus: ergo & nos ipsos ex charitate debemus diligere.

RESPON. Dicendum, quod cum charitas sit quedam amicitia, sicut dictum est, dupliciter possumus de charitate loqui. Uno modo, sub communi ratione amicitiae,

Super Questionis viginti quatuor Articulum quartum.

In articulo eiusdem Questionis adverte ne fallaris in secundo distinctionis membro: putans quod ex propria charitatis ratione homo diligit seipsum, non ut volens sibi ipsi charitatem, sed ut quandam rem Dei. Hoc enim falsum esse etiam patet ex littera ibidem dicente, prout est amicitia ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea quae sunt Dei. Dicendo amicitiam ad ea, quae sunt Dei, insinuat ad ea quae sunt Dei ut amicae inter quae est ipse homo charitatem habens: diligit ergo se quis ex propria charitatis ratione, ut amicum Dei.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.